

Johann Sithmann Leopold Valentin Borck von


**Disputatio Sexta De Acquirendo Rerum Dominio Iure Gentium. Ad Institut. lib. 2. tit. I § II. 12. 13. usq[ue] ad finem tit.**

Stetini: Rhetius, 1650


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757170226>


Druck Freier  Zugang





V. K. 2 (165.)





DISPUTATIO SEXTA  
DE  
ACQVIRENDO  
RERUM DOMINIO  
JURE GENTIUM.

*Ad Institut. lib. 2. tit. 1. § 11. 12. 13. usq.  
ad finem tit.*

Qvam

TRIUNO FELICITER ANNUENTE  
IN REGIO GYMNASIO STETINENSI  
PRÆSIDE

VIRO Clarissimo, Consultissimo  
& Excellentissimo

DN. JOHANNE Sichmann / U. J. D.,  
Pom. Juris ibidem Professore Ordinario, Præce-  
ptore ac Fautore ætatem honorando

*Publicæ disquisitioni submittit*

LEOPOLDUS VALENTINUS  
à BORCK. Nob. Pom.

*anno æræ Christianæ clj lvc L.*

*Mense Februarii die 1.*

*horis ab 8. matutinis.*

IN AUDITORIO MAJORI.

---

STETINI,

Typis JOHANNIS VALENTINI RHETIL.



GENEROSO ADMODUM MAGNIFICO  
DOMINO

JOHANNI NI-  
CODEMI *Lilienström*/  
SACRÆ REGIÆ MAJESTA-  
TIS AC CORONÆ SVECIÆ VI-  
CE PRÆSIDI, DIRECTORI COLLE-  
GII STATUS PER POMERANIAM CON-  
SILIARIO SECRETIORI, NEC NON ILLUSTRIS  
HJUS GYMNASII CURATORI, HÆREDITA-  
RIO IN EKA ET SANDERS-  
HAGEN.

MECOENATI ET DOMINO MEO,  
SUBJECTIONIS ET DEVOTIONIS  
MÆ GRATIOSISSIMO ARBITRO  
PRIMUM HOC THEMIDI SACRUM  
DO, DONO, DEDICO

*Devotissimus*

LEOPOLDUS VALENTINUS à BORCK  
NOB. POM.

DISPUTATIO SEXTA.  
DE ACQVIRENDO RERUM DOMINIO


jure gentium.

*Ad Lib. 2. tit. 1. § 13. 14. 15. 16. 17. usq; ad finem tituli.*

RESPONDENTE

LEOPOLDO VALENTINO à BORCK

Nob. Pom.



Aggredimur *Tit. I. partem alteram*, quæ est de *acquirendo rerum dominio*. Hanc abesse ab omnibus manuscriptis Exemplaribus ait Concius & Rusardus, atq; Bachovius fatetur se inspecto uno & altero id ita deprehendisse. Constat enim nec Theophilum in *paraphr.* habere hanc inscriptionem. Imò compilatores ff. separatos hujus rei fecisse titulos in *lib. 1. tit. 8. & lib. 41. tit. 1.*

2. Verum utut hæc svavia videantur, nihil tamen moveamur. In factò constat Compilatoribus Pandectarum ordinem *perpetui Edicti*, prout hoc commodius visum, fuisse sequendum, quem propter methodum convenientem hoc loco negligere non patuit. Neq; Helice nostra esse debet Theophili autoritas, quem Triboniani collegam & compilatorem non fuisse alibi evicimus. Porro in rationem quæ manuscriptores forsan movit operose inquirere nimis foret divinatorium & otiosum, satius nobis esto; *Titulum* hunc compilatorum operâ ita prodiiisse *Rubro suo nigro* rectè aptatò, quam enim materiam hic in *Institutionibus* totius Juris compendio tractat *conjunctim* de eo in ff. agunt *separatim*, separata itaq; fuit habenda inscriptionis ratio.

3. Esto igitur ad *tit. 1. partem alteram* hæc disquisitio. *Acquiruntur* res, quæ dicuntur *singulorum §. 11. h. tit. h. e.* quæ in bonis nostris jam sunt, vel ut in eis de *Jure Gentium & naturali esse possint*, non repugnat. Visum est in præcedente *disput.* inter res de *Jure Gentium & naturali* communes, quasdam reperiri, quæ quâ usum omnibus communes, quâ proprietatem verò nullius sunt, his tamen non repugnare, ut alicujus per acquisitionem esse possint privati domini, quibusdam autem repugnare. His ergo absolu-

A

sis,



tis; de illis remanet disferendi copia: Quum autem res singu-  
lorum acquiruntur tam de Jure Gentium, quam Civili, de illius ac-  
quirendi modis, ut sese ratione ordinis doctrinæ prius offerunt,  
noster in præsentiarum sit sermo, alios Jure Civili acquirendi  
modos suis locis reservantes.

4. Utrôq; Jure inter singulos distinctum bonorum, ac re-  
rum dominium stabilitur; bonorum communitio in utrâq; hie-  
rarchia de Jure divino, omnium saniorum gentium, & civili explora.  
Cur enim Deus ipse in Decalogo præcepit, *Non furtum facies?*  
*precept. 7. Non concupisces domum proximi tui? precept. 9. 10.*  
*cur creavit divitem & pauperem? Proverb. 22. 2. cui Regna condi-*  
*data? agris fines positi? ædificia exstructa? l. 5. ff. de J. & J. si certa*  
*non essent rerum Dominia.* Hæc inter singulos adeo debent  
esse fixa & propria, ut alter alteri jus suum quæsitum, neq; ipse  
princeps, quamvis legibus solutus dicatur, indebitè auferre  
possit. Est enim hoc de casibus exceptis, nec civili tantum, sed  
& naturali ratione fulcitum, ne Jus suum alteri indebitè auferatur,  
& ne quis locupletetur cum alterius jactura, aut damno *l. 14. ff.*  
*de condict. indebit. l. 206. R. J.* Hoc regulariter Principi dictum, nisi  
publica svadeat utilitas, quæ contra Juris communis regulas  
nonnunquam ire permisum est *l. 9. & 14. C. de operib. public.*  
Exempla hujus rei proferet Discursus.

5. Hoc Jus domini secundum Ulpian. in *l. ult. ff. de legib. con-*  
*sistit* aut in *acquirendo*, quando hoc agitur quomodo quid cujusq;  
*fiat*; Aut *conservando*, quomodo quis rem seu jus suum *conservet*;  
Aut *minuendo*, quomodo *alienet* aut *amittat*, quæ singula per im-  
mensum Juris Pelagum sunt diffusa. Ordo nos jam tangit expo-  
nere quomodo acquiruntur Jure gentium *vid. thes. 2. in. fin.* Ar-  
ctavimus in publicis lectionibus omnes hos modos in tres clas-  
ses, *Occupationem*: *Accessionem*: & *Traditionem*. Placentinus & Azo  
in duos: *Apprehensionem* & *Accessionem*, quos tractat confuse Azo, di-  
stinctius Placentinus, placet tamen retinere illos tres, utpote  
extui accommodatiores.

6. *Singularum* hominum res hisce modis fiunt ait Tribonian.  
*in b. §. 11. sed quorum* singularum, etiam *peregrinorum? Servorum?*  
Ita nimis generaliter prolocutus videtur, & pleriq; Interpre-  
tata

tum. Verum quidem, peregrinis Jus naturale, & gentium non esse ademptum, imò ipsos seruos acquirere, attamen non sibi met-  
ipsis, sed dominis, habent enim exiguum peculium à rationibus  
dominicis separatum. Sic & de peregrinis hic specialiter non  
agitur. Magis ergò verisimile est per singulos homines princi-  
paliter intelligi *Cives Romanos*, non enim de rebus communibus  
acquirendis, aere, aquà profluente hauriendà, quæstio verti-  
tur, sed acquirendo singularum privato dominio, quod propriè,  
& ex usu nostri Juris Civium est Romanorum, quod sibi vult  
Gai in l. 1. ff. de acquirend. rer. domini. Nanciscimur (*Cives Ro-  
mani*) quarundam rerum dominium Jure gentium, vel civili b. e.  
propriò jure civitatis nostræ, conveniens est §. Jus autem civile 1.  
vers. Et populus itaq; Roman.

7. Non obstat Marcianus l. 2. ff. de R. D. ibi. Res communes  
universitatis, Nullius, & Singulorum cuiq; ex variis causis ac-  
quiruntur. &c. Verba sunt interpretanda secundum subje-  
ctam materiam ut sit sensus cuiq; civi Romano acquiruntur, quod si  
ita non esset, subsequentes modi civiles singulares, & univer-  
sales omnibus essent communes, quod nemo non absurdum  
diffitebitur.

8. Ulterius animadvertendum, Tribonianum, & Interpre-  
tes, quot viderim, inter quos etiam Broæum numero, errare  
in juris civilis origine, non enim, ut ait, civilia jura tunc cœ-  
perunt, quum & civitates condi, & magistratus creari, & leges  
scribi b. e. sanciri ceperunt, quia & hæc juri gentium *secunda-  
rio* accepta feruntur, teste Hermogeniano in l. ex hoc jure 1. ff. de  
J. & J. Nec refragatur Bachovius civitates esse juris gentium  
non civilis. Ergone utraq; hæc jura eadem? vel ex utroq; pro-  
gnatum idem? Veritas tribuenda ex jure gentium *secundario*  
civitatum origini, cumq; civitates multiplicatæ singulæ jure  
gentium *secundario* contentæ non essent, sibiq; seorsim pecu-  
liaria jura ab aliarum, & vicinarum gentium moribus distincta  
constituerent, jus civile enatum est.

9. Adducit pro communi errore Broæus in *Exposit. Instit.*  
in §. singularum n. 8. Inter alia Meenam, qui cum Urbem Cro-  
codilon conderet, Deos colere, & sacra facere docuisse, quod

quidem parum ad rem. Hæne leges, aut jura civilia? an gentium?  
Quæ unquam fuit gens tam barbara, ac effrenis; Cic. teste  
quam nullus Deorum cultus attinuerit, Jus gentium namq[ue]  
potest esse in civitate, sed eò ipso hoc illic non est jus civile.  
Jus autem civile est docente Ulpiano in l. 6. ff. de I. & I. quod  
neq[ue] in totum à naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei  
servit; Itaq[ue] cum aliquid addimus vel detrahimus juri natu-  
rali communi, jus proprium, seu civile efficitur.

10. Probandum ergo, hujusmodi jus civitatibus esse co-  
ætantaneum. Constat ex Pomponio, initio civitatis Romæ po-  
pulum sine certa lege, certoq[ue] jure primum agere instituisse  
l. 2. ff. de O. I. vixit ergo interim jure gentium aliarum. Ac li-  
cet Romulus in fine primi, & principio secundi anni, Regesq[ue] sub-  
sequentes ab Albanis, Hetruscis alijsq[ue] mutatas leges promul-  
garent, rei tamen Romanæ hisce non satis prospectum fuit, do-  
nec lapsis ab V. C. CCII. annis L. XII. Tabul. ferrentur, quas  
propria civitatis jura populus fecit, Halicarnass. lib. 5. Regula-  
re ergo est civitates jure gentium secundario cepisse, populumq[ue] ini-  
tialiter jure naturali gentium primævo, imò & secundario usum,  
donec Magistratus loci pro cujusvis populi commoditate e-  
jusq[ue] consensu juri naturali aliquid vel adderet, vel adimeret,  
vel jure secundario pro parte sibi appropriando, jus civile,  
vel civitatis proprium efficeret d. l. 8. d. tit. Hujusmodi jus  
civile *κατ' ἐξοχήν* dictum est civitatis Romæ. Hodie est vel  
commune intra, vel extra Imperium Rom. receptum, unde illi  
singulares & universales acqvirendi modi civiles promanant.

11. Sed quænam illa juris gentium acqvistio? Ex primævo &  
secundario repetenda, partim namq[ue] ex ratione, partim *ratiocina-  
tione* juncta perficitur. Bachovius solum primævum intelligit,  
quem suo sensu abundare jubeo. Broæus penitus hoc tollit  
ad § *singulorum n. 5.* ratio ejus quod omnes hi acqvirendi mo-  
di sint juri gentium referendi, unde *obligationis* origo, nec ul-  
lus ex primævo jure naturali nobis superfit acqvirendi mo-  
dus. *Perperam.* Quasi verò jus gentium aliud non sit primæ-  
vum, aliud secundarium, quæ duo non differunt *realiter*, sed  
*ratione.* Tum & hic agit Imperator de modis acqvirendi rerum  
domi-

dominium, quod denotat jus in re, non acquirendi obligationes, quæ designant jus ad rem, quod autem Broæus adeo impertinenter hæc tractat, facit ejus falsa hypothesis, quæ vult jure naturali primævo homines cum animalibus socios, atque cum iis in omnium rerum communione, atque jure constitutos, illud autem esse extinctum, quo nihil ferme absurdius, uti patet ex nostra *disp. 2. de Princip. Jur. thes. 6 & sep.* Non acquiritur ullius rei dominium, nisi ejus ante sit data possessio, hæc autem non contingit, nisi justa causa titulus seu modus eam habilitet, quod maximè locum habet in corporalibus. Unde sunt, qui rerum Incorporalium verum dominium inficiantur, quorum affecta etiam Broæus, attamen contrarium in *Disput. 5. præcedentis* evicimus, idemque in *seq. 7.* ulterius prosequemur.

12. Inter omnes igitur jure gentium acquirendi rerum corporalium domini modos, primus est *Occupatio*, quæ in feris dicitur *venatio*; in piscibus, *piscatio*; in volatilibus, *aucupium*; quo referimus *prædationem bellicam*, ac *inventionem gemmarum*, thesauri, rerum pro derelictis habitarum, ac si quæ sunt aliæ.

13. Feras, pisces, volueres, quatenus nullius sunt, nostros facimus per *apprehensionem* & *capiem* de jure naturali, & gentium, nec interest nostronè an alieno fundo captura fiat, non enim jura hæc respiciunt *Ius fundi*, sed *solius capionis* ratione objecti, seu rei quæ capitur, quæ est nullius, ideo & occupantis *l. 1. § 1. l. 3. & l. quod in littore 14 ff. de acquirend. R. D.* Hujus intuitu statuit Proculus contra Trebatium, feram non esse vulnerantis, licet ita vulnerata sit, ut haud difficulter capi possit, sed *capientis*, quam opinionem, ut veriorem, confirmavit Justinianus in *§. illud quæsitum 13. Instit. h. tit. l. naturalem 6. § 1. ff. de acquirend. R. D.* Trebatii tamen opinio in *d. l. 5. aliquibus* in locis recepta est.

14. Quæ ratio est *fundi publici*, vel *privati alieni* circa *venationem* ea etiam secundum quosdam *fluminum publicorum*, & *privatorum*, ratione *piscationis*. In fluminibus quidem publicis, item & mari usus piscandi hoc jure communis est, ut quis contra prohibentem injuriarum possit experiri *l. 1. § 9. ff. ne quid in loc. publ.*

1. Injuriarum 13. § ult. de injur. nisi diverticulum excipias fluminis, in quo per longum usum quis potest Jus piscandi sibi facere proprium l. si quisquam ff. de divers. temp. prescript. si non piscari desinat, quomodo interpretanda est l. prescriptio 45. ff. de usu cap. ne contrarietur d. l. si quisquam. In privato vero flumine vel fundo potest dominus prohibere ne extraneus ingrediatur vel piscetur, nil minus tamen feræ & pisces veluti nullius domini, aut possessionis, fiunt capientis d. l. 3. § item feras 14. ff. de acquirend. & amitt. posses. quia nec pars fundi, nec fundo coherere dicuntur, sed in naturali laxitate & libertate subsistentes, magis aere, quam terrâ contineri intelliguntur gloss. ult. in l. fia. in verbo quasi vento C. de aliment. pupill. prestand. Idem cervus captus in fundo Sempronii, vel Titii, non cervus est vel Titii, vel Sempronii, sed nullius, proinde cedit capienti, & occupanti l. 3. ff. de acquirend. rerum dom.

15. Quicquid hoc sit, disputandi causa minimè concesserim, venationem in fundo, vel silva aliena circumseptâ, nec piscationem in stagno, vel flumine privato alieno de Jure naturali & gentium esse licitam. Broæus ad §. fera 12. n. 3. asserit contrarium. Ratio ejus est quod feræ neq; in Domini silvæ, nec pisces in Domini fluminis, aut stagni sint possessione, sed in naturali libertate relictî. Quam rationem satis bonam, & sufficientem hæud esse, nihil ambigo. Paucis. Feræ capta mea est, quam ita in custodia mea teneo, ut in naturalem libertatem, & laxitatem se recipere non possit? Affirmant comm. Dd. ad d. §. fera. Quid si ergò sylvam meam propriam circum circa sepiam, & claudam, ut nulla exire fera possit, ane capta intelligatur, & civiliter possessa, naturali ejus laxitate & libertate ademptâ? Sepi enim veluti reti, ac laqueo ex quo se minimè irretire possunt, quod vult Proculus in l. in laqueum 55. ff. de acquirend. rer. domin. ferâs inclusas teneo, parum abest ut persequendo eas naturaliter apprehendam, quia nullô modô possunt evadere l. naturalem 5. ff. de acquirend. rer. dom.

16. Non obstat l. possideri § item feras bestias. 14. ff. de acquirend. posses. R. Sufficit civilis possessio ferarum in sylvis circumseptis, idem opponuntur hic sylvæ circumseptæ vivariis quod in

hic possideri naturaliter in illis non taliter possideri feræ dicantur, forsan quod cum semel captæ sunt, vivariis inmittuntur, & feræ ex his natæ domino sylvæ per jus accessionis accrescunt. Donell. lib. 4. Comment. cap. 8. In illis vero nondum sunt captæ, sed tum demum quando capiuntur, incipiunt esse in possessione & dominio capientis. Dixerim 1. Domini sylvæ circumseptæ, non extranei, ut si hic ingrediatur sine Domini permissu feram captam non faciat suam. 2. utur non sint in naturali possessione, sunt tamen in dominio ac possessione *in illi*, neq; alias argumentamur à possessione ad dominium l. 12. ff. de acquir. vel amittend. posses. 3. Quia in potestatem nostram, ut recte sentit Donellus d. loc. venisse intelligitur quod operâ nostrâ ita captum est, ut subiciatur potestati nostræ, certumq; sit nobis effugere non posse, quod utrum manu nostra fiat, an quò aliò instrumentò puta laqueò (addo sepimento, quod fera transilire, & in libertatem & laxitatem naturalem se recipere non potest, pro libitu tamen nostræ apprehensioni corporali subiecta facta est) nihil interest.

17. Regedit Cujac. lib. 4. observat. c. 2. Natura tamen ferarum hoc exigit ut amissâ earum possessione, dominium etiam amissum dicamus. Nos subsumimus. Quia vero, uti per antepressa patet, ferarum possessionem in sylva circumseptâ non amissimus, ergo earum dominium retinemus. Hâc ratione non absurde quis diceret, in sylva circumseptâ committi feræ furtum non multo secus ac in Vivario seu Roboratio ut ait Varro lib. 3. de Re Rust. A. Gell. lib. 2. Noct. Attic. c. 20. quia ratione possessionis, sive civilis sive naturalis furtum commissum intelligimus. Sufficit ergo alterutra, quia utraq; est vera, ut dominium influet.

18. Minoris Indaginis est, num piscatio in alieno stagno, aut flumine sit licita? quod negandum remur. Affirmat Broæus d. loc. per l. 3. § ult. ff. de injur. sibi tamen penitus contrariam in fin. § ibi. In lacu tamen qui mei domini est, utiq; piscari aliquem prohibere possum quæ prohibitio non est eadem cum illa, ne quis ingrediatur fundum alienum ad venandam feram, quam captam nilominus facit suam, alia namq; ratio piscium, ali. ferarum est; Hæ fundi pars nec sunt, nec dici queunt, quia acere, omnibus com-  
muni

muni magis, quam terrā continentur d. l. 3. § 14. l. locus 26. ff. de  
acquirend. vel amitt. possess. gloss. ult. in fin in verb. quasi vento h. e.  
aere vixerit C. de aliment. pup. Heig. ad d. § fere 12. h. tit. &  
comp. Dd. Pisces verò fructus stagnorum, & lacuum,  
& eorum pars esse, ex eisq; nati intelliguntur l. fures ubi gloss.  
ad verb. pisces, ff. de act. empt. l. fructus ff. de R. V. Ideoq; ad car-  
pientis extranei dominium non transeunt, sed domino stagni  
restituere tenetur p. l. certum 22. C. de R. V. cum simill.

19. Afferit idem Harprecht ad d. § Item fere 12. sed nescio quid  
hoc sit piscantem extraneum pisces captos suos facere, attar-  
men domino reddere teneri. d. §. n. 70. quæ acquisitio domi-  
nii procul dubio esset inutilis, vel plane nulla; utpote cujus nul-  
lus esset effectus & operatio. Plura mitto. Ad Interpretationem  
ergo d. l. possideri 3. § item feras verisimile censeo in alieno la-  
cu, & stagno piscari, aut sylva circumsepta aliena venari mi-  
nime licere, nisi quis Jus venandi tale habeat sibi acquisitum  
Bocer. clas. 5. disp. 3. vers. 24.

20. Hæc de Jure gentiū, & civili approbante controversatur,  
à quo venandi Jure temporū successibus desitum est. Et quidem  
ex Concilio Aurelianensi Clericis venationes cruentæ omnino  
interdictæ sunt c. 1. d. 2. de Cleric. venator. can. 1. 34. distinct. &  
can. Esau. 86. distinct. clem. de statu Monach. Monent tamen C. C.  
& gloss. ad d. Clem. 1. concessum his quidem venationem in  
propriis fundis, & saltibus esse, ne tamen fiat venatio per  
eos ipsos, sed constitutos venatores laicos. Pruck. in tract. de  
Regalib. § venatio c. 4. n. 78. Ad piscationem autem hæc prohi-  
bitio quoq; Clericos minime extenditur, quia exercitium  
non est adeò dirum & cruentum, ideoq; procul dubio omni-  
no licitum, quod tradit Sebast. Medic. in tr. de venat. q. 8.  
d. 9. p. 1.

21. Interdixit postea privatis indifferenter Fridericus  
Imperator in c. 1. § Si quis Rusticus vers. nemo retia. De pace te-  
nenda 2. F. 23. ne in locis publicis quis retia, laqueos, aut alia  
instrumenta ponat, nisi ad feras noxias, urfos, capros, lupos  
capiendos, quod hodiè non de apris, neq; de ursis obtinet de  
quo vide Knichen: de restitut. paction. c. 2. n. 3. Sed de lupis  
& ser-

& serpentibus aliisque noxiis animalibus, quorum venatio, & occisio tanquam publice utilis omnibus est permittenda *l. j. C. de venat. ferar. lib. 11. Wefenbec. in paratit. de acquirend. rer. dom. n. 7.* Eò denique perventum, ut Electores & Principes, Comites & Barones, venatione privatis in propriis etiam fundis edempta, ob publicam utilitatem, aliasque prægnantes ob causas ad se non injuria pertraxerint, quam rem ad disputandum fertilem & foetam, disquisitioni committimus.

22. Hinc est quod *Civitates municipales* venationes clamerosas, cum retibus & canibus, & inflatione Corniculi venatorii in suis fundis exercere non possint, nisi à Duce, Principe aut Comite hanc habeant ex habili quovis titulo, aut præscriptione acquisitam. Idem dicendum est de *Nobilibus, & Landsasfts* quibus ut venatio *majorum ferarum Hohe Jagten/ von Schwarzen und roth Wildpret* liceat, necessum est habeant hanc licentiam literis investiturarum expressè insertam, vel jus in alieno fundo venandi per præscriptionem legitime acquisitam, productis vivis testibus de actibus possessoriis attestantibus. *Mor. tr. de jure venand. p. 2. c. 4.*

23. Constat autem ex communi observantia investiturarum, Principes non facile concedere Nobilibus venationem majorum ferarum. Unde si jus venationis simpliciter in investitura sit concessum, inferior venatio duntaxat concessa intelligitur per *Meischner. tom. 3. lib. 2. decis. Cam. 3. 2. Harprecht. ad S. feræ n. 242.* Verum de utroque casu & similibus certæ locorum respiciendæ sunt consuetudines, in dubio namque præsumitur, qui majorum ferarum capiendi jus habet, ei minorum indagacionem non esse prohibitam, non autem vice versa.

24. Disquisitionis est perquam utilis, *utrum venatione hodie ad Principes delatâ ob venationem contra prohibitionem factam, pœnam imponere possint capitalem?* Simpliciter vel asserendo vel negando nodus non secatur. Proclivis est negativa, quia pœna hæc non proportionata est delicto, quod jus efflagitat. *l. perspicendum 5. ff. de pœn. Nec uti text. ait. aut severitatis aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpensio judicio prout quæque res expostulat, statuendum est.* *Quid tandem? Num respectu de-*  
B  
linquen-



linquentis, alioquin scelerati; delicti bis, ter, quaterque re-  
terati; contemptus enormis Principis, arbitraria hæc pœna  
quandocumque ad mortem extendi possit, sani judicantis commit-  
tendum esse religioni, verò reor consentaneum.

25. Sed quonam hæc omnibus Jure utuntur Principes? Juri  
præscriptionis immemorialis, vulgariter tribuunt Dd. Sed  
dubito, an minus subtiliter, eò quod usufructus, & præscri-  
ptio sit juris civilis, venatio vero gentium. Sed positò eo-  
rum, quæ juris gentium sunt, civili jure posse quædam præ-  
scribi, fallit tamen in venatione, quæ quia non est in dominio,  
non potest dici habile usufructus objectum. Tum & privati  
non potuerunt consentire, quia uti hodie à Principibus venari  
prohibentur, ita ab initio procul dubio prohibiti præsu-  
muntur.

26. Regalibus accenset Pruckman. in § venatio. c. 1. n. 5.  
Heig. quest. 15. n. 44. & seq. Knichen. in com. de Saxon. non provocand.  
Jur. c. 5. p. 169. & nonnulli alii. Sed perperam. Nos horum  
rationes his pagellis non refutamus, sed ipso disputationis  
actui eas committentes, unicè juri superioritatis ascribimus,  
quod multum distat à Regalibus. Publica namque utilitas effe-  
cit, ut venationem quæ passim abuterentur privati, principes  
terrarum Jure Magistratus superioris in usum meliorem pu-  
blicè utilem converterent, & quibus, & quomodo venandum  
esset, ipsi inter subditos disponerent, quò quisque in suo con-  
tineretur statu, vitæ genere, & officio. Venatio sic privatis  
concessa servitutibus rustici prædii, imò & usufructui rectis-  
simè assimilatur, quod controversiæ difficilioris expertus est.

27. Similiter Piscatio in fluminibus publicis, & privatis alienis  
hodie non amplius est Jure gentium, & communis, sed jure omni  
circa flumina publica in totum ad Principes, & territorium  
Dominos, status Imperii immediatos devolutò, piscandi Jus  
simul ad eos devenit, superioritatis jure; quantumvis piscati-  
onum seu picariarum, (quæ rectior forsitan est Florentina lectio,) *reditus*  
seu *veftigal*, ex Frider. constit. ad Regalia pertinuerint.  
Unde civitatibus municipalibus minimè licitum est in flumi-  
nibus publicis navigabilibus, & alia navigabilia facientibus li-  
berè

berè piscari, nisi jus piscandi ex titulo habili, & legitimo, oneroso, vel lucrativo à principibus, vel immemoriali præscriptione contra Principes habeant acquisitum. v. c. Senatus, vel civitas Stetinensis in nobili præterfluente fluvio Oderâ piscatur secundum modum in transactione inter Principes Pomeraniæ, & civitatem de A. 1612. definitum in 4. puncto principali S. fürs dritte wurde wegen des juris piscandi &c. Circa jus venandi etiam certa determinatio facta est in d. Transact. in 6. puncto princ. Idem, vel simile judicium formandum est de aliis civitatibus & Nobilibus mediatis publica flumina accolentibus.

28. Certè communis illa piscatio in piscinis, stagnis, & fluminibus alienis privatis non tantum omni locorum consuetudine diutissimè exolevit, sed & publica imperii constitutione criminali Caroli V. art. 169. pœna furti gravissimè coercetur. Ibi. Item welcher aus weihern/oder behältnissen Fische stilt/ist auch einem Diebstahl gleich zu straffen/ so aber einer aus stiesenden ungesangenen Wasser Fische finge/ das einen andern zustünde/ der ist an seinem Leib und Guthe/ nach gelegenheit/ und gestalt des Fischens/ der Person/ und Sachen/ nach Rath den Rechtsverständigen zu straffen.

29. Reliqua animalia feræ naturæ, Apes, Pavones, Columbe, Cervi mansueti antiquum jus gentium & naturale adhuc continent, ut nostra intelligantur, quædum alveo, columbario, aut domo nostrâ continentur, nec animum revertendi desererunt, nec conspectum nostrum adeo aufugerunt, aut evolarunt, ut difficilis aut desperata eorum sit persecutio. Circa apum autem inclusionem, & capionem varia præterea locorum tenenda est consuetudo. Pavonibus non *obst. l. Si pavonem 37. ff. de furt. R. Pomponium loqui ibidem loci de pavone mansueti, non naturâ sed arte tali, cujus detentor furtum committit, nilminus ac ille, qui anserem, anatem, & gallinam domesticam à Domino avolantem sciens lucrandi causâ detinet, quia hæc animalia feræ non sunt naturæ, reiq; minimæ furtum committitur. Non *obst. l. 1. S. ult. cum l. seq. ff. de dolo. R. Actio-**

ne ordinariâ furti experiri possum ob rem minimi, vel exigui  
valoris. l. 1. § illud ff. de conjung. cum emancip. lib. Subsidiariâ ve-  
rò de dolo minimè, nam hæc ob rem modicam non competit d.  
ll. de dolo malo. §. inst. 14. 15. 16.

30. Occupationem ferarum sequitur occupatio seu præda-  
tio bellica. Homines namq; feras insectando, contra seipfos fie-  
ri immanes, & cruenti, seq; ipsos insectari didicerunt. Justin.  
ait; Item ea, quæ ex hostibus capimus Jure gentium, itatim no-  
stra fiunt, quæ præter morem, ita dici ait Broæus b. § 17. In-  
telligere Imperatorem fiscum suum, ut sensus sit, quæ ab ho-  
stibus capiuntur, præsertim mobilia, fieri occupantis, non  
quidem militis, sed reipubl. quæ deinde lege peculiari ex Ju-  
re civili utitur in spoliis quæsitis, vel militi dividendis, vel  
in ærarium referendis. Sed fallit & fallitur procul dubio Broæ-  
us, quasi vero nulla Jure gentium effectualis esset privato-  
rum militum ex occupatione bellicâ acquisitio, omnisq; civili Jure  
pertineret ad fiscum, vel Rempubl.

31. Distinctim agendum est. Res mobiles, quæ durante bello  
excursionibus rapiuntur (qui modus Jure gentium est) Item  
quæ militum direptioni (qui modus civilis est interpretante  
Broæo) Dux belli motu proprio exponit, fiunt militum oc-  
cupantium, de quo utroq; casu intelligendus est § 17. & l. 5.  
§. fin. cum l. 51. § 1. ff. de acqvir. R. D. Secus est in immobilibus & mo-  
bilibus illis, quæ ab hoste devicto præda capitur, vel Dux belli  
sibi ipsi reservavit vel ipse occupavit, quæ non cedunt militi-  
bus, sed ab ipso belli duce, vel donantur, vel assignantur militi-  
bus; vel publicantur, dividuntur, vel in fiscum referuntur, de  
quibus casibus intelligendæ l. 13. penult. ff. ad L. Jul. pecul.  
l. 36. penult. § 1. C. de donat. l. Lucius. 11. ff. de evict. l. in agris  
16. ff. de acqvir. R. D. quos textus præsertim quoad res mobiles  
adeo indistinctè, & confusè tractat Broæus d. loc. n. 4.

32. Cedunt itaq; sub hac distinctionis lima res captæ mo-  
biles, & immobiles, militi, vel Reipubl. Fiebant præterea per  
occupationem bellicam homines liberi capientium servi Jure  
gentium, qui modus acqvirendi libris Juris Justiniani passim  
insertus est, & d. § 17. utpote servitute illius tempore plenè  
in usu

in usu existente. Justiniano namq; A. C. DXXVII. ad imperium evectó, & A. C. DLXIV. vitá functó servitus demum supputante Bodino A. C. MCC. inter Christianos desit. *Hodiè ergò* in bellis nostris capti non fiunt capientium servi, sed liberi permanent, & vel gratis, vel lytró dató dimittuntur, vel commutantur, werden die Gefangene gegen einander aufgewechselt/vel perpetuo carceri mancipantur, vel ultimó supplició afficiuntur, qui perduellionis, proditionis, vel alius gravioris delicti, aut felonix nomine suspecti legitimè convincuntur, quod in historia est proletarium.

33. Similiter lapilli, gemmæ pretiosæ, & margaritæ inventæ de Jure naturali & gentium cedunt Inventori, seu capienti §. 18. & l. 3. ff. b. tit. Margaritam, seu unionem dicunt ab unitate, quod unus tantum in concha quavis reperiatur. Plinius quaternos, aut ad summum quinos inesse conchis uniones literis prodidit. Americum autem Vesputium in exploratione Oceani Australis concham habuisse, in qua ultra centum, & triginta uniones reperti sunt refert Andr. Matthiol. *comment. in lib. 2. Dioscorid. c. 4. pag. 243.* quam litem meam non facio. Addit Broæus Juri gentium communi, margaritas, quæ simul cum metallis ex visceribus terræ effodiuntur, quasi verò tempore Friderici Imp. d. c. un. quæ sunt regalia metalli fodinæ non factæ essent de *Regalibus*, quod meritò Broæum non lauisset. *Hodiè* hujus § 18. modicus, vel nullus habetur usus docente notoriâ locorum consuetudine, (quicquid fortè in Oceano Australi incognito sit) quod Reges, & Respubl. Domini riparum, & littorum in terris habitabilibus, & cognitis per præfectos, dictos Strandvögde res has curiosè inquirant, & in fiscum conferant jure communi gentium antiquatò.

34. Associamus acquisitioni per occupationem, *thesauri*, rerumve *aliarum* aut pro *derelictis* habitarum *inventionem* §. 40. 47. 48. *Thesaurus* est vetus quædam pecuniæ depositio, cujus non extat memoria, ita ut jam Dominum non habeat. l. nunquam 31. § 1. ff. de acquir. R. D. Pecunia ergò quæ tempore belli custodiæ, vel lucri causa sub terra reconditur, nec ignoratur quando, & à quo sit recondita, thesauri jure non venit, sed inven-

tor restituere detrectans, furti tenetur l. 31. § 1. ff. de A. R. D. Ad thesauri naturam fac. l. un. C. de thesaur. ubi dicitur à Leone beneficium Dei, à Triphonio Donum fortunæ in l. 63. § 1. ff. de A. R. D. Varia circa thesauri inventi acquisitionem sunt judicia, & jura prodita. Conf. Cujac. lib. 9. Observ. c. 37. Plato lib. 11. de legibus Lamprid. in Alexandr. Sever. Philos. ten. de vit. Philos. lib. 2. Jus Saxonicum Landrecht lib. 1. art. 35. disponit daß alle Schätze unter der Erden begraben tieffer den der Pflug gehet / gehören zur Königlichen Gewalt / quem textu de fodinis metallicis, non thesauris reconditis ipse interpretatur Elector Augustus in Novell. constitut. tit. 53. p. 2. In Hispania quinta pars thesauri relinquitur inventori, cætera pars cogitur in fiscum, ad eod putat Covarruvias in 3. part. prælect. c. peccatum de Reg. J. in 9. §. 2. n. 4. inutilem planè & supervacaneam esse de thesauris disquisitionem, siquidem in toto ferè terrarum orbe thesaurus fisco applicetur, quod tamen ei non largimur, & de facto, non de jure processisse Richardum Angliæ Regem verius est, quod thesaurum à nobili in proprio fundo inventum, armis extorsit.

35. Hoc certum, thesaurum magicà arte inventum non inventori, sed fisco acquiri, ipsumq; inventorem ob delictum omni jure prohibitum capitaliter esse puniendum. Planum etiam de Jure civili, thesaurum in loco proprio, sive datà operà, sive fortuito inventum totum inventoris esse. In alieno (etiam Cæsaris, non quà talis, sed Caroli, Ferdinandi, &c. loco patri-  
moniali) inventum dimidiotenus pertinere ad inventorem, qui fortuito invenit, & dimidiotenus ad fundi Dominum, datà operà inventum ad Dominum loci. d. §. 40. b. tit.

36. Sed quid de loco sacro & religioso? Divus Hadrianus fortuito ibidem inventum totum concessit inventori d. §. 10. Ab hoc recessere Divi Fratres Antoninus & Verus in l. 3. § penult. ff. de jure fisci dimidium thesauri tribuentes fisco. Justinianus postea Div. Fratrum sententiam in d. l. 3. repudiasse, & Hadriani videtur amplexus in d. § 4. & l. Si is, qui 63. Deniq; Fridericus I. Imper. post D. annos dimidium ad Regalia retulit, Divos fratres secutus in d. c. un. que sunt Regalia 2. F. 56. Quid dicendum? Duarenus putat D. Fratrum rescriptum tanquam

quam posterius sequendum: Multo magis ergo constitutionem Friderici in d. c. un. quam rationem, præfertim si d. c. un. insistamus, de jure civili puto esse veram, sed quoad antiquioris legis declarationem, minimè verò quoad ejus abrogationem, vel derogationem. Leges namque posteriores v. c. Codicis, aut Textus Novellarum jura ff. non abrogant, neque eis derogant, nisi expressam contineant clausulam abrogatoriam, vel derogatoriam, vel alterutrum ex eis possit elici. Exemplo sunt 50. Decisiones quas in *Nucl. Jur. civil. præmiò* adduxi.

37. Broæus *h. l.* frustra distingvit inter locum religiosum *privatum*, & *publicum*, cujus ratione thesaurus dividendus sit inter inventorem, & Fiscum, quasi ex loco aliquo juris nostri, aut historico hoc probetur, locusve publicus cæsaris, aut civitatis non sit alienus, & diversi ab hoc juris, quo ipso contra ipsum textum, quem explicat, impingit. Ad Antinomiam decidendam, *h. §. & d. l. 3.* ait inter diversa diversis imperatoribus placuisse, quod quidem verum, verum ad solvendas antinomias ratio est planè insufficientis. *Ratio*, quam addit, quod pro thesaurorù copiâ, vel tenuitate ita imperatoribus placuerit, est divinatoria, neque ex textibus, quos allegat, elicitur. Mirum qui alleget Leges *c. 3. & 2.* ad decidendam controversiam *tit. codicis Theodosiani de thesauris* in codicem repetitâ prælectionis, non relatas, quod sub falsi criminis pœnâ novit à Justiniano esse prohibitum in *constit. Tanta de confirm. ff. ad O. p. § 19.*

38. Magis est ut respiciamus modernam Reipubl. formam, quâ loca sacra, & Religiosa ad dominium Ecclesiæ collata sunt. Unde quia Ecclesia deterioris conditionis, ac quilibet alius Dominus fundi alicui esse non debet, dimidium thesauri fortuitò inventi ad Ecclesiam *hodiè* pertinere reor *per. c. Ecclesia 10. de constit.* Ac proinde non illiquidò statuendum jus illud imperatorium, de in locis Religiosis fortuitò inventis thesauris, torum *hodiè* esse eversum, quod & videtur Arnisæo *de jure Majest. c. 6. n. 24.*

39. Hæc de loco Sacro & Religioso. Quæstio est, *Utrum in thesauri inventi acquisitione locus proprius, etiam intelligendus*  
ratio-

ratione dominiū utilis? De usufructuario non afferendum, quia planè habetur pro extraneo thesaurum inveniēte in fundo alieno, *Vasallo*, & *Emphyteuta* tribuunt Dd. si ipse inveniatur fortuito sive datā operā, sed dubito num de juris rigore, & ratione, cujus enim non est fundi proprietās, ei fundus est alienus, quicquid tandem ex æquitate & moribus, quod feuda (excepto felonix casu) facta sunt perpetua, & hereditaria, communis opinio, & observantia introduxerit.

40. Aliæ res casu amissæ non cedunt Inventori, nescienti rei Dominum, nisi publicatione ritè factā, Dominus non compareat, quò casu Inventor pauper rem inventam retineat, dives inter pauperes dividat, fas est. Conf. Aretin. *b. loc.* Minus res de *Rhedā* corrente decedentes, vel *navis leuandæ* causā emissæ sunt Inventoris, quia non sunt res nullius, vel habitæ pro delictis, qui enim scientes has Dominis non restitunt, furtum committunt. Humanitatem & miserationem omnem desiderant *bona naufragorum*, quod piissimè constituit sanctio pragmatica Frider. II. Imper. 2. E. 1. vel 17. §. *Navigia* 9. relata ab Irnerio temp. Lotharii Imper. in *tit. C. de furt. Auth. Navigia*. Hanc secutus postea est Carolus V. Imper. constit. *crimin. art. 218.* & Gloriosæ memoriæ Bogislaus Dux Pomeraniæ cum ex peregrinatione in terram sanctam contra pyratas Turcas singulari virtute victor *A. 1498. April. 11.* rediisset, constituit, ne post hac navigia, bonaq; naufragorum littoribus, & ripis pomeranicis appulsa, essent in commisso, sed Dominis suis, fegen eiti *billiges Bergegeld* restituerentur, quæ laudabilis consuetudo hucusq; per totam Pomeraniam observatur.

41. Occupationem sequitur *Accessio*. Hæc est vel *simplex*, vel *mixta*; illa vel *naturalis* vel *artificialis*: *Naturalis* consistit in *Fætura*, *Alluvione*, *Insula*, & *Alveo*.

42. *Fætura* acquiruntur nobis partus, qui ex nostris animalibus matribus nascuntur §. 19. v. c. *Equulus natus ex mæâ equâ, meus est, licet hæc à vicini equo sit imprægnata*. Olim idem Juris fuit in partu ancillarum, quod servitute desitâ, & ipsum desit.

43. *Alluvio* ab *avulsione* est discernenda, quam discrepantiā non animadvertit Broxus, hic generaliter dicens, *Juris gen-*

gentium modus, quò quicquid tuo agro flumen adjicit, tibi acquiritur, non attendens, *alluvione fiat an avulsione. Illa est incrementum latens: Hæc, cum vis fluminis partem aliquam ex prædio meo detrahit, & vicini prædio adjicit, quæ causa dominium non mutat. Sed quid, si longiore tempore vicini prædio adhaerit, amutatur dominium?* Textus hic ait, si arbores simul avulsæ in vicini fundo radices egerint, ejus fundo esse acquiritas § 21. Lectio in ff. Florent. l. 7. § 2. ff. de A. R. D. habet: Videtur fundo acquisita esse. Terram ergo acquiri, non arbores sentit Ictus. Et sanè uti arbor actis radicibus l. sed si meis 26. § arbor ff. de A. R. D. Ita terra quoque coalitione videtur mutare dominium. l. hoc amplius 9. § alterius ff. de damno infect. quod utrumque ex utraq; lectione statuminandum, nec alterutrum tantum ex lectione vulgata contra Florentinam, cum Hotom. hic asserendum opinor.

44. *Insula in mari nata (quod rarò accidit, similis locutio est in l. si major 12. C. de legitim. hered. l. antiqui. 3. ff. si pars hered. petat. Novell. 94. c. 2.) fit occupantis quoad proprietatem & usum, quia mare commune est de Jure naturali & gentium, Ideo Insula in mari nata, antequam ab aliquo occupatur, nullius est, quod refertur in § 22. h. tit. l. labeo. § Insula ff. de A. R. D. ac simil. Prostant tamen exempla quædam Insularum, quæ ex mari emerferunt. Sicilia, quæ olim tenui cer vice passibus ferè mille quingentis Italiæ adhærebat, nunc ab Italia disjuncta Insula est. Anglia totius orbis Insula perhibetur maxima. Rugia ditionis Pomeranicæ in mari Balthico sita Insula est septem vel circiter milliariibus constans in longitudine, olim terræ Ruden adhæsit, quæ tempestate maris A. 1309. avulsa pars maris per integrum milliare facta est, dicta hodiè das Neue Dieff. Hæ & plures insulæ marinæ, quas historiæ committo, factæ sunt primorum occupantium, & succesorum.*

45. *Quæ vero Insula in flumine publico emerfit, pertinet de J. N. & G. ad Dominos riparum proximiorum. l. 7 § 3. ff. d. A. R. D. si circa flumen insula enata sit. Ratio hujus est in l. 1. § 3. ff. de flumin. Communis autem est in medio flumine nata, pro cuiusque agro, fonte ac modo l. 7. §. Insula ff. de A. R. Si modo agri horum non sunt limitati, quæ exceptio etiã in alluvione & avulsione locum*  
C  
habet,



habet, quicquid contra nitatur Cujac. 14. *obs.* 11. in fin. & Robert. *lib.* 1. *lect.* 11. per *l. pen. § ult. de A. R. D.* Graviter autem *obstat* prædictis *l. pen. § ult. ff. de A. R. D.* ubi ait Labeo, Insulam in flumine publico natam publicam esse. Fateor non levem pugnam esse inter *d. l. pen. & d. l. 7.* eod. Sed hac de re admodum approbandū reor Judicium Hotoman. 1. *obs.* 23. magis quam Donell. *lib.* 4. *comm.* 29. Broæus *b. loc. universâ Hollandiam & Zelandiam* asserit meram esse Insulam fluvialem, sed procul dubio, *perperam*: quia notoriè constat non tantum eam à *Mosâ & Rheno*, sed etiam *Oceano* includi. Confer. Cluver, *de Rhen. alv.* 6. 7. & 17. Plura quæ hinc sequuntur inconvenientia sileo.

46. *Alveum* quod attinet, si flumen aliò fluere incipit, eorum ille est, qui propè ripam prædia possident, flumine vero ad priorem alveum reversò, alveus ille novus eadem ratione pertinet ad Dominos proximiorum riparum, quod tutius est simpliciter ita tenere *ex §. 23. h. tit. & L. Attius. 38. ff. de A. R. D.* Nec quærenda est nova æquitas cum Connano, & Hotomanno *ex l. 7. § quod si toto. vers. cujus tamen totum.* Siquidem ibidem ipse Gajus ait in *fin. Sed vix est ut id obtineat.* Alia ab Alvei mutatione est *inundatio*, aqvâ enim Inundationis recedente fundus ejus manet, cujus antea fuit *§ 24. h. tit.* Quamdiu vero aqua subsistit, fundus est publicus *l. si ager 23. ff. Quib. mod. usus fruct. vel usus amitt. fitq; iterum privatus aqvâ non amplius existente.* Cui nil quicquam *obstat. l. cum usum fructum 24. ff. m. d. tit.* Alia namq; Inundationis *stantis* alia *recedentis* ratio & circumstantia est. *Illâ* proprietas & usus fructus fundi amittitur, vel suspenditur. *Hâc* restituitur. Dm. Anthon. Matth. suo sensu abundare jubeo, qui in *colleg. Inst. 1. disp. 5. t. 1. lib. 2.* disertè ait, Respondeat qui potest, Ego dudum animadverti, has leges (*l. 23. & l. 24.*) verè esse contrarias.

47. Hæc ita subtiliter de Juribus Insularum marinarum, & fluvialium, & de alveo, de Jure naturali, & gentium disputantur, quod adhuc locum habet in *Oceano Maris Australis.* Idem non dixerim de *maribus Internis*, de quibus vid. *disput. præced. 5. th. 10.* neq; *flumine publico navigabili*, vel aliud navigabile faciente, In hisce siquidem *Insula hodiè* nasceretur, procul

cul dubio afferent sibi eam Reges, & Respubl. in illâ parte  
maris dominum *Jurisdictionis* vendicantes, vel etiam Principes,  
& status Imperii, qui Jus fluminum publicorum habent ab Im-  
peratore sibi concessum, flumina namq; hæc cum ipso Alveo,  
quod interpretantur *Dd. ad Regalia pertinent. c. un. Quæ sint*  
*Regal. 2. F. 16. Conf. d. disp. 5.*

48. Simplicem naturalem accessionem sequitur *artificialis*,  
cujus species est 1. *Specificatio*. Dissidium *Sabinianorum & Procu-*  
*lianorum*, utrum specificatum ad Dominum materiæ pertineat,  
vel specificatorem, diremit Justinianus in § 28. *Inst. h. tit.* &  
ante eum Cajus in *l. 7. § 7. vers. Est tamen. ff. de A. R. D.* ut si  
specificatum *h. e. nova species ad priorem materiam reduci*  
*queat, speciem pro mente Sabinianorum tribuendam esse Do-*  
*mino materiæ. Si nequeat, pro Proculianorum sententiâ spe-*  
*ciem esse specificatoris, materiamq; cedere formæ, quod exem-*  
*plis declarat Tribon. in d. § 28. Quæ ad Regulam rectè aptan-*  
*tur, in eo potissimum casu, quando actus & forma sunt remota*  
*à materia, vel ejus potentia ( non enim navis reduci potest in arborem,*  
*ex quâ confecta est )* dubiosum autem videtur, quando forma seu  
actus potentiæ materiæ est propinqua ( *ut si ex uvis vinû fiat, ex oli-*  
*vis oleum, ex spicis frumentum* ) Hinc mirantur Horomannus ad *d.*  
§ 25. Connanus 3. *comment. 6. n. 2. 3.* & Anton. Matth. *hic in*  
*not. & dict. disput. 5. th. 28.* Tribonianum, quod non distinxerit,  
utrum *materia*, an *ars majoris sit pretii*, quod vult *l. mulieris 13.*  
*§. 1. ff. de V. S.*

49. Videntur autem Authores mediæ sententiæ inspexisse, quod  
per naturam imbecille cedere debeat fortiori, si species reduci  
possit ad suam materiam, hæc fortior, si non possit, forma for-  
tior, & potior haberetur. Tum & qui frumentum ex spicâ excus-  
sit, non facit novam speciem, sed eam, quæ jam erat, detexit.  
*l. 7. § cum quis ex aliena. ff. de acquir. R. D. Sed dictæ l. Sed si meis*  
*26 ff. eod. valdè obstat L. Mimitius 61 ff. de R. V. cum qua con-*  
*cordat Caj. in Institut. libr. 2. tit. 1. § 5.* Dicendum arbitror Juli-  
anû in *d. l. 61.* & Paulû in *l. 26.* diversas Sabinianorum & Pro-  
culianorum referre & approbare sententias, vel certè Paulum  
loqui in *l. 61. de ædificante navem malâ fide. Quæ etiam ar-*  
tenden-

tendenda, quò pactò etiam conciliandam esse l. 12. § 3 ff ad exhib. non ambigo. Caji autem auctoritatem in hisce talibus nullam esse, aliquoties ante dilucidavimus.

50. 2. *Accessio*. Regula traditur à Proculianis in l. Sed si meis 26. § 1. ff. de A. R. D. in quibus rebus propria qualitas expectaretur, si quid additum erit (*ornatus causa*) toti cedit, accessorium namque sequitur suum principale, siue pretiosius principali, siue vilius sit, nec distingvi videtur, bonàne fide an malà rei suæ rem alienam quis junxerit, in utroque casu res nostra per prævalentiam trahet alienam. Sed *quid consulendum rei domino, anne ejus privetur dominio?* Breviter. Adversus furem utitur *actione furti* ad pœnam, & conditione furtiva ad petendam æstimationem, quæ etiam datur adversus alium malæ fidei possessorem.

51. Anne ergo & actio ei datur in rem? Non directè per b. §. Cui non adversatur l. gemma, 6. l. tigni 7. ff. ad Exhib. l. in rem actio. 23. § item quicumque ff. de R. V. potest enim ad exhibendum agi, ut res excludatur & sic vindicetur, quod potissimum procedere arbitror in mala fide jungente, quod etiam extendit Bachovius hic ad b. fide jungentem, ut agi possit adversus hunc ad exhibendum, ut res adjuncta separaretur & restitueretur, quamvis hoc tentari possit, anne arbitriò Judicis permittente, possessor b. fidei æstimationem solvere paratus, audiendus sit, præsertim quando ex separatione aliquid damni sit perpeffurus. In quam sententiam concedit Bachovius, & ego approbo, verùm in illis duntaxat velim textibus, quando adjuncta exhiberi, & separari possunt, v. c. gemma ab auro, de quo loquitur l. gemma. 6. ff. ad Exhib. & l. 26. § 1. ff. de A. R. D. qua de causa placet Hotomani distinctio inter purpuram *attextam* & *intextam*, quod non hæc sed illa separari & exhiberi possit, quantumvis eam improbet Bachovius. Sed *quænam contra b. fide jungentem competens actio est? An conditione sine causa sint deferenda?* hæret Bachovius l. loc. num autem cum conditione *triticaria* transire liceat, cum Hotomano tentabimus.

52. 3. *Confusione*. 4. *Commixtione*. Abutitur hoc vocabulò Pomponius in l. 3. § Pomponius & l. 5. ff. de R. V. confusionem  
cum

cum commixtione confundens, quem bene insequi videtur Broëus *b. l.* Constat tamen, Justinianum distinctam utriusque modi facere naturam, ut confusæ res alterentur, commixtæ non alterentur. *Ille* fortuitò *confusæ* sint Dominorum communes: *Ha* nequaquam, quia singula in sua substantia perdurant: *Ille* autem eâ ratione dicuntur communes, si materiæ per arrem deduci non possint, nec est, ut applicemus cum Hotomanno huic § 28. *negationem*, quia non visitur in *l. 7. § 9.* unde Tribonianus § illum 28. transumpsit. Neque etiam textui huic negotium facessit, quod res confusæ aliquando dicuntur facere specificationem. Luculenta namque inter utramque remanet differentia, bene notante Anton. Matthæi, quod nulla fiat specificatio, sine consilio, nos autem hic loquimur de confusione factâ fortuitò, quod pluribus persequitur *ad d. § si duorum 27. Confunduntur* autem res actu, vel potentiâ *liquidæ: commiscuntur corpora solida & arida. v. c. grana frumentorum*, ex quibus fit acervus. Hic non est communis, nisi voluntate Dominorum fiat ejus commixtio.

53. 5. *Ædificatione.* Regula generalis est, quod *ædificium h. e. superficies cedat solo*, siue quis in suo solo ex aliena materia, vel ex sua materia in solo alieno ædificaverit. *Priori casu*, Dominus materiæ non potest stante ædificiò materiam vindicare, neque de ea ad exhibendum agere, verante hoc *L. XII. Tabul. ne demolitis ædificiis aspectus urbis videatur ruinosus l. 1. ff. de Tig. junct. l. 2. C. de ædific. privatis*, sed potest agere de tigno juncto actione in duplum, casu autem ædificiò dirutò, rei vindicationis, & ad exhibendum actionis locus demum est, si tigni, seu materiæ dominus duplum non fuerit consecutus § 30.

54. Actio hæc de tigno juncto in duplum regulariter datur contra *m. fidei* possessionem, quin & eadem contra *b. fidei* detur ædificantem, nullus ambigo per *l. 23. § 6. ff. de R. V. L. 6. ff. ad exhibend.* quicquid dissentiant Mynsing. *Lin. & Wesenbec. in b. § 3.* quod & adeò verum, ut neutri detur potestas eximendi tignum, & effugiendi condemnationem, *non enim jungentis favor sed publica respicienda est utilitas*, contra quam sententiam disputat Donell. *l. 4. comm. 33.* putans, invitum quidem ædificatorem

non cogi volentem, tamen eximere posse, cujus rationum veritatem disputando perquiramus. Sed adhuc magis est intricatum, an & de quocumque tigno alieno hæc competat actio, sive illud furtivum sit sive non furtivum. Illud asserit Cujac. 23. obs. 19. per l. de eoff. de Donat. in vir. & uxor. l. 1. ff. de tigno juncto. Ex quibus textibus hoc planè non evincitur. Broæus ad Cujac. partes discedens, vult contra tignum non furtivum ignoranter junctum actione in factum prætoriam esse experiendum, ut pretium tigni præstet per l. 98. § 1. in fin. ff. de solut. quæ lex certè hoc non probat. Rectius ergò est, ut distinctione hæc rejectâ simpliciter dupli actionem concedamus cum Anton. Matthæi, etiâ adversus quemvis ædificatorem aut possessorem per l. in rem actio 23. ff. de R. V.

55. Placet rem hanc adhuc distinctius exponere. Vel versamur circa tignum furtivum, & agimus contra ipsum furem, qui suis ædibus tignum furtivum junxit. Certum est contra hunc dari actionem in duplum de tigno juncto, quæ actio tota pœnalis est, sed & præter hanc datur vindicatio seu actio ad exhibendum, non quidem, ut tignum eximatur, sed ejus æstimatio præstetur l. 2. ff. de tign. junct. l. 6. ff. ad exhib. Vel versamur circa tignum furtivum, non autem cum ipso fure nobiscum actio est, sed cum rei furtivæ possessore, eoq; vel m. fidei, b. e. sciente rem furtivam, vel alienam junxisse, & dubium non est, quin propter L. XII. tab. teneatur in duplum, quod totum etiam pœna est, sed præterea etiam tenetur actione ad exhibendum, ut præter pœnam dupli etiam præstet æstimationem, vel pretium, quod non obscurè innuit d. l. 23. § tignum ff. de R. V. & d. l. 2 de tign. in junct. Vel b. fidei, nec ambigendum eundem ad duplum teneri propter furtum (quod olim dicebatur) conceptum, huic autem duplo simplicium inest. fac. d. l. 23. & l. 6. ad exhib. Frustra namq; ei tribuit Broæus solam prætoriam actionem ad tigni æstimationem.

57. In posteriori casu, si quis ex sua materia scienter in alieno ædificet fundo, disceptatur, utrum ædificatio ædificatio possit ædificator materiam suam vindicare? Negat § 31. Contra asserit Antoninus Imperator in l. 2. de R. V. ubi ait, *dissolutò ædificiò*  
mate

materiam redire ad priorem Dominum, etiamsi malâ fide ædificarit. Idem  
visitur apud Julianum in l. 37. ff. eod. Distinguit Donell. lib. 4.  
comm. 33. & Baro in b. § eum qui in alieno suâ materia ædificavit,  
censeri donasse, cæterum si etiam alienâ materiâ ædificaverit,  
dissolutò ædificiò materiam redire ad priorem Dominum. Quod  
si ergo expressè non conitet ædificatorem donandi animo ædifi-  
casse, quod procul dubio intendit Tribon. in b. § 31. aut ex ali-  
ena materia ædificium sit positum, secundum l. 2. & 37. Judicium  
formandum est.

57. Ulterius dissidium est circa *Expensas*. Decisivè dicimus.  
B. fidei possessor, & ædificator necessarias, imo & utiles simul  
tollere, deducere, & beneficio exceptionis dolimali retinere po-  
test, etiamsi *res ipsa interierit*, m. fidei possessor necessarias repetit  
magis forsan ex æquitate, quam stricto Jure. l. 1. C. de R. V. De  
utilibus autem vix est, ut asseram, nisi ut certis conditionibus  
eas tollat. arg. l. planè. 38. ff. de hered. pet. Hoc ergo Inter b.  
& m. f. possessorem interest, quod *hic* utiles impensas tantum  
tollere permittatur, si sine detrimèto proprietarii tolli possint.  
Ille vero non tollere tantum, sed & deducere, & per exceptionem  
doli mali retinere possit, præsertim si est in possessione ædificij,  
alioquin non absurdè ei tribuenda foret *Condictio incerti*, quam  
rem pluribus jam non persequor in tanto legum, ac rationum  
conflictu. Tutius est, ut quod lex non expressè decedit, æquo  
committatur iudicii arbitrio.

58. 6. *Plantatione*. 7. *Satione*. 8. *Scripturâ*. 9. *Picturâ*. Plan-  
tæ radicibus actis cedunt solo § 32. frumenta autem simul atq; sa-  
ta fuerint. Hotom. *hic* § 33. p. l. qui alienum. 14. ff. de Donat. an-  
tequam ergo radices agant plantæ, vindicari directò possunt à  
priori domino post coalitionem non item. Varus tamen & Ner-  
va utilem in rem dedere, l. 5. § ff. de arbore ff. de R. V. Quod scri-  
ptura cedat chartæ indubiù est per Justin. in b. § 39. & quidem Ju-  
re *accessionis*, licet enim accessorium sit præstantius & pretiosius  
suo principali, hoc tamen sequitur. d. 26. § *Diversum* statuit in pi-  
ctura Gajus in l. 9. § de A. R. D. & Justin. b. § 35. cui adversa-  
tur Paulus in l. in rem actio 23. § 3. ff. de R. V. tam manifestè, ut  
negari non posse arbitrer cum Barone in h. § Quis non explodat  
Done.

Donell. responſionem 4. comm. 30. Neve rideat conciliationem  
Gæddei in l. Labeo 14. ff. de V. S. n. 13. Ita tamen Paulum diſ-  
ſentire agnoſco, ut ſententiam ejus Juris authoritatem non ha-  
bere putem.

59. Sequitur accessio mixta, quæ conſiſtit in perceptione fructuum. Alia  
circa hunc modum eſt b. fidei poſſeſſoris: alia usufructuarii ratio. Bona fidei  
poſſeſſorem ſentio fructus industriales conſumptos facere ſuos, & lucrari ex-  
tantes, & naturales cum re reſtituendos eſſe Domino rem ſuam vendicanti,  
Mala fidei poſſeſſorem omnes tam naturales quam industriales, ſtantes, ex-  
tantes ſeu perceptos conſumptos reſtituere, quin etiam de percipiendis te-  
neri. l. ſinavis. 67. § 1. ff. de R. V. cæterum quamdiu aliquis intelligendus  
ſit b. fidei poſſeſſor, agnoſco pugnam inter b. fidei 48. § in contrarium  
quamdiu aliquis ff. de A. R. D. & l. quod ſit 25. § ult. de uſuris. tentabimus  
autem, diſputando emergat conciliatio.

60. Separat Imperator fructuarium à b. fidei poſſeſſore. Differentia  
potiſſimum in eo eſt. Fructuarius non aliter percepit fructus videtur, hi-  
ſi ipſe eos terrâ ſepararit, vel alius ejus nomine b. § 7. l. arboribus 12. § Ju-  
lianus. ff. de uſufructu. ſi fructuarius 13. ff. Quib. mod. uſufruct. amiſſi.  
Bonæ fidei autem poſſeſſor etiamſi alius eos ſeparaverit. ut fur, prædo;  
aut vento, tempeſtate, aut ſponte deciderint. d. l. qui ſcit. 28. § 1. ff. de  
uſufr. l. bona fidei. 48. ff. de A. R. D. Ulterius: Fructuarius ſolâ perceptione  
ſit Dominus, B. fidei poſſeſſor non aliter, niſi conſumerit. l. certum 22. C.  
de R. V. Hoc Caſu facit b. fidei poſſeſſor fructus Industriales ut & naturales  
ſuos irrevocabiliter, niſi ex hiſce non ſit locupletior factus. Perceptos vero  
industriales an ſuos faciat revocabiliter, quam rem valde dubiam, & intrica-  
tam in diſcurſu enodabimus. Aſſimilatur fere fructuario colonus; uterq;  
enim perceptione ſit Dominus extra conſumptionem. Verum adhuc requi-  
ritur, ut ipſe fructuarius, vel alius ejus nomine fructus ſeparet. Colonus  
eſt & manet Dominus fructuum. licet alius eos ſeparaverit l. ſi apes. 26.  
§ 1. ff. de furt. Partus autem ancillarum fructus non dicitur propriè, ſed  
impropriè.

61. Ultimus acquirendi Juris gentium modus eſt Traditio, quæ ut confi-  
ſtat, requiritur 1. Ut tradens ſit rei Dominus vel vice Domini. 2. Adit ejus  
animus & voluntas transferendi Dominium. 3. Fiat traditio ex titulo ad  
transferendum Dominium apto. v. c. oneroſo vel lucratiſo, non 2. commodato,  
depoſito. Pignore &c. 4. Ut rei traditæ fiat apprehenſio, quæ eſt in corpora-  
libus, in Incorporalibus traditionis loco eſt uſus, & patientia. Nec inefficax eſt  
traditio, quæ ambiguit de cauſa transferendi Dominii erretur, ſi modo de corpore rei con-  
ſentum ſit. Non obſt. l. cum à corpore. 36. ff. de A. R. D. & l. ſi ego. t. 8. ff. de Reb.  
cred. In illâ accipitur traditio pro modo transferendi Dominii, In hac, qua  
tenus eſt modus conſtituendæ obligationis. Nullatenus ergo hic eſt anti-  
nomia, Pluribus hoc perſequi par erat, ſed excludor  
pagellarum anguſtia. Subſiſto.

FINIS.

**E**rgone ut Themidi perchari Patris amore  
Oblatus nuper, mox tua Thuralitas  
BORCKI? sic decet; Ac laudo: Conatibus  
instar

Fiat & ut Domini res sua quæq; doce.  
His aliisq; modis acquirimus omnia Jure,  
Inter tu Gentes quod fiet, eloqueris.  
Sat perplexa doces, & dura ænigmata. Quid tum?  
In magnis Juvenci sic voluisse, sat est.  
Pergito nec dubita quin sis LEOPOLDE futurus  
Et Patris, & patriæ digna propago Tua.

Juveni sibi recommendatissimo  
faventer f.

PRÆSES.

---

**Q**uid Martis clypeus? cœli te tollit ad astra,  
Ars pergrata fori, laus adamanda foli:  
Ammonis soboles medios parat ire per enses  
Ad regni summi culmina Martis ope:  
Quid tu? tu medias tentas transire per artes  
Ad laudis summæ sumnia loca artis ope  
Gratulor atq; precor pergas augere parentum  
Stemmata clarorum, laudibus arte datis.  
Nam pergens sic nec deflectens tramite ab illo  
Semper eris patrio lucida gemma solo.

Ita a Nobilibus, atq; doctis. Dom. Respond.  
appl.

NICOLAUS MILOV.  
Spand. March.



**J**uridicæ volvens sinuosa volumina Divæ:  
Magnæ cum plausu sacra Themistos adis.  
Scilicet ingentes dio hoc clarescere fano  
Nosti animas, & eis jungier arte studes.  
Gratulor ardori. Cæpto sic perge labore:  
Nec te pœniteat ferre brabea manu.

Faucis his Nobilissimi Domini Respondentis  
sonatui officii & benevolentiz ergo  
applaudere voluit

Georg Caspar Fleming, Nob. Pom.

**Q**uid studiis, dic, quid non Marte sed arte parabis?  
Juridicæ Sacra, cur penetras Sacra Divæ?  
Pondera nonne Lares præbent tibi fulva metalli?  
Nonne tibi nomen nec Midæ fulva talenta?  
Sunt tibi divitiæ, sunt & tibi nomina honesta:  
Sed sane Studiis hæc non sunt æquivaranda:  
Ex studiis crescit magnum & memorabile nomen:  
Nascitur ex studiis tibi gloria lausq; decusq;.


Hæc pauca Nobili suo amico apponere voluit,

David Köhn à Kahlden,  
Nob. Pom.


**C**ollaudent alii flaventem Tybridis undam,  
Aut Phæthontæum padum, Hesperiumve Rhodanum,  
Aut laudent Ephesum celebrem, bimarivæ Corinthi  
Mœnia, decantent alii claram Mytilenen,  
Vel Baccho insignes Thebas, vel Apolline Delphos  
Laudibus egregiis celebrent, aut Thesala Tempe.  
Sed te tangit amor Themidos tractare camænas,  
Macte probis ausis: sic præmia digna videbis:  
Sic capies tandem condigna brabea labore;  
Sic eris & patriæ sol: Sic & gloria patris.


Hæc prosperante calamo scribebat,


Johannes Sithmannus,  
CrypthisVV. Pop. Jun.











the scale towards document

VVLGO DIATO die Klapper-Jagd. 433

§. XI. Quodsi igitur in iudicio petitorio (a) super ipso ita di iure controuersia mouetur, is, cui solum inferior minor, aut media, venatio data est, a nostro uero modo se abstinere debet in locis, ubi ferae maioribentur. Is autem, qui duntaxat superiori, siue maioribentur venatione, tali, vice versa, uti nequit in locis ubi ferae minores, aut mediae, subsistunt. Ratio assequius in promptu est, qui alterius ferae per eiusmodi uenationem disturbantur, et in aliena loca extra banerium transfugiunt (b). Non debet autem alteri per

eorum numerus praeter necessitatem non sit augendus, si-tem id quoque non facile permittitur, ut, praedio, cui uenandi cohaeret, inter plures possessores diuiso, in locum unius iaculatoris, qui ante factam diuisionem fuit, postea res substituatur. Vid. Mandata Regis Prussiae d. 9. Maij. 4. d. 10. April. 1709. d. 8. Mart. 1712.

Actiones, quibus partes litigantes in iudicio petitorio exantur, sunt Confessoria et Negatoria utilis.

Audiamus ante, quam ulterius progredimur, ipsosmet uerres, quibus potissimum in sua arte credendum est. Huc me faciunt tria luculenta testimonia, quae sequentibus s concepta sunt:

Steuer der Wahrheit attestire ich Endes, Unterschriebener l. Schwarzburgischer Ober-Jörster hiermit auf Begehren, das so genannte Klappern oder Klapper-Jagen, wenn  
E  
nehm.